

V.
*An in Practicis disciplinis etiam demonstra-
tiones dentur?*

Philip. lib. 4. Dial. & alij recentiores affirmativam tenent, hac ratione inducti, quod in demonstratione tantum propositionum; non etiam rei necessitas requiratur. Verum ex cap. 4. lib. 1. post. ut & c. 3. 1. Eth. intelligi potest, necessitatem propositionum non sufficere in demonstratione, sed insuper etiam rei necessitate opus esse. Cum enim demonstratio perfectam rei scientiam pariat, ita ut ipsius integra natura plenè cognoscatur; hoc ipsum non requiritur in disciplinis practicis, quibus non tam cognitio, quàm actio finis loco est proposita. Præterea ex 1. Eth. patet, omnes disciplinas practicas versari circa contingentia; Accedit, quod demonstratio finiatur Syllogismus pariens scientiam, & scientia habitus ex demonstratione ortus, ut itaque tam latè pateat scientia, quàm latè patet demonstratio, adeoque cum disciplinæ practicæ scientiæ non sint, in ipsis quoq; demonstrationes locum non habebunt.

VI.

An institutio puerorum publica esse debeat?

Sunt qui privatam esse velint. Nos tamen cum Philosopho lib. 8. Pol. c. 1. publicam præferimus. Idem enim debet esse finis rerum omnium publicè & privatim hominibus. E. & finis Institutionis publicus, & media publica, & omnibus publicè applicari debet. Imò Cura partis debet respicere curam totius. Jam adolescentes sunt Reipub. partes, & usu communes. Nec civis debet æstimare se suum esse, sed civitatis, atque ita liberos non sibi gignere, sed ci-

C

vitati